



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Majus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

S. Thomas
Aquinas.
S. Gregorius
Nazianze-
nus.
Tertullianus.

ipsa desperatio, ut docet S. Thomas, secundâ secundâ. *Quest. 2. Art. 4. Desperatio procedit ex nimia dejectione.* Unde scribit Gregorius Nazianzenus, in cap. 30. *Eccles. Animi maerores pro- cem senectutem, mortalibus pariunt.* Et Tertullianus habet hanc animâ cap. 52. *Magna tristitia semper nocet.* Nocet corpori animâ, ut Conceptibus deducam, Dei adjutorio prius implorari

CONCEPTUS I.

Confirmatio
seu
Deductio.

Vocat Deus Moysen è Rubo, ac demandat: *Vade, congrega niores Israël, & dices ad eos: Dominus Deus Patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob dicens: visitans visitavi vos, & vidi omnia, quae acciderunt vobis in Aegypto, & dixi, ut educam vos.* Exodi 43. cap. Ad hanc Dei propositionem, respondet Moyses: *Non credent mihi, nec audient vocem meam.* cap. 4. Verbis Dei non credere, vocem Dei non audire, manifestum signum reprobationis est; Moyses ergo, affirmat quia Judæi, non crederent Prophetiâ, non audient verbum Dei, salute Judæorum valdè dubitat, Judæos reprobatos pronuntians, de, ex quâ causâ, Moyses hoc judicat? Causâ movens desumitur ex verbis Dei, & Judæis Moyse indicantis: *Vidi afflictionem meam in Aegypto, & clamorem ejus audiivi, propter duritiam eorum qui præsunt opibus, & sciens dolorem ejus, descendi, ut liberem eos.* Exodi 3. cap. Audiens Moyses, Judæos in dolore, angore, luctu, tristitiâ, vivere in Aegypto, subinfert, non credent mihi, dolent, oppressos, luctu, tristitiâ obrutos, incapaces judicat Moyses, invidiosum, indispositos, qui vix oculos, minus animum ad credendum, ineptos ad Dei verbum audiendum, ac recipiendum. In similitudine, S. Chrysostomus hunc Conceptum elucidat: Sicut in locum serenum, locum permittit radiis solaribus, ut totum mundum illustrent, & irradiant; dum verò sol nubibus obfuscatur, radii lucem impediunt, & tenebras adferunt: ita quoque dolor, luctus, tristitia, est quaedam nubes mentem obfuscans, & lucem cognitionis veræ, & necessariae cognitionis pellit, ut qui eâ oppressus est, non alios erudire, nec ab aliis erudiri possit: concludit citatus S. Hieronimus ad Populum: *Non sinit enim tristitia, facilem esse rationem.*

cursum, sed suffocat, & cum multâ necessitate intus reprimis, & hoc, non dicentibus tantum, sed & audientibus accidit.

CONCEPTUS II.

Joann. cap. 13. inquit Jesus ad Discipulos suos: *Ahuc modicum vobiscum sum.* Zelosè interrogat Petrus: *Domine! quò vadis?* Laudo zelum: Interrogatio hæc Petri, magnam curam salutis animæ, sequelæ desiderium notat; hinc mirum, quò Christo Apostolis manifestè abitum suum indicante: Joann. 16. cap. *Nunc vado ad eum, qui misit me,* tamen ne unus Apostolorum interrogaverit: *Domine! quò vadis?* nullam curam salutis animæ, desiderium, Christum quò vadit sequi, nullum exprimunt, adeò, ut indignabundè eis hoc exprobrat Christus: *Nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?* Quomodo factum, ut Apostoli hic, quò vadat Christus, non interrogent? nullum zelum, ac desiderium sequendi Christum demonstrent? Causam indicat sacer Textus: *Tristitia implevit cor vestrum,* Joann. 16. cap. Tristitia omnem zelum, ac desiderium, sensus, mentem, ac rationem Apostolorum obfuscauit, ut confusi, perplexi hæreant, atque consistant. Audiatur S. Chryostomus, Epistola ad Olympiam: *Apostoli triennio cum suisfent cum Jesu, & semper eum interrogarent, quò vadis? ita extincti sunt tristitiâ Tyrannide, & toti mærore confecti sunt, ut ab eo ultra non quærerent, & ob hoc increpavit eos Christus.* Et iterùm Hom. 11. ad Populum. *Tristitia futurorum, pressum tunc ipsum cor, post ac stupidum mansit.*

CONCEPTUS III.

Venerat ad Christum Salvatorem nostrum, adolescens quidam, quærens mediâ, ut salvus fieri queat: *Magister bone! quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Respondet magister: *Serua mandata.* Replicat adolescens: *Omnia hæc custodivi à juventute meâ. Quid adhuc mihi deest?* ait illi Jesus: *Si vis perfectum esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Matth.

19. cap. hâc salubri doctrinâ perceptâ, abiit adolescens: illo ab-
 unte, inquit Christus ad Discipulos suos: *Amen dico vobis, quod
 dives difficile intrabit in Regnum cœlorum; & iterum dico vobis
 facilius est, camelum per foramen acis transire, quam divitem
 intrare in Regnum cœlorum.* Matth. 19. cap. Quod hic sermo Ch-
 risti, & adolescentem abeuntem tangat, colligitur ex verbis an-
 cedentibus sacri Textûs, qui de hoc adolescente affirmat: *Erat enim
 habens multas possessiones.* Ergone ex ore Salvatoris, adolescentem
 hujus salus periclitatur, qui mandata Dei, à juventute sua col-
 diebat? Quæ causâ periculi? Causam insinuat Sacra Scriptura
 tato capite. *Abiit tristis.* Desuper S. Hieronymus in Catenâ: *Abiit
 tristis: hæc est illa tristitia, quæ ducit ad mortem.* Adde dicitur
 Hermetis, qui Discipulus fuit S. Pauli lib. 2. Mandat. 10. *Tristitia
 omnium Spirituum nequissima est, & omnium Spiritus exteriorum
 & cruciat Spiritum S.* Agnovit hoc Aaron Sacerdos, & Jacob.

CONCEPTUS IV.

Aaron fatetur. Quomodo potui placere Deo, mente hujus
 Levit. 10. Et Jacob ad filios ait, Genes. 42. cap. *Deducetis meos,
 cum tristitia in infernum.* Nimia tristitia, nimia animi
 turbatio; & consternatio, periculosissima est salutis animæ,
 est ad desperationem, ac æternam damnationem.

CONCEPTUS V.

Jonas inobediens Deo fugit, navim Tharsis petituram
 dit, nondum navis secat æquor, cum sæva illam adoritur tem-
 pestas, & horrifona ventorum immanitas, navim exagitat, & naufragi
 navigantesque omnem industriam, ac laborem, ne à savientibus
 fluctibus submergantur, impendunt; solus Jonas sopore gravi
 titus dormiebat, quem excitatum hortantur, & ipse manus ad
 beat, ad Deum suum preces fundat. *Quid tu sopore desperas?
 surge, invoca Deum tuum, forte Deus recognoscet de nobis, & nos
 salvabit.* Quid ait Jonas? utique & ipse laborabit? orabit? &c.
 hoc

horum: undis tradi petit: *Tollite me, & mittite me in mare.* Jonæ cap. 1. Quid petis? o Jona! in mare si ejectus fueris, submergeris, morieris, peribis; vivus submergi, horrenda mors est: cur sibi Jonas eligit; tollite me, & mittite me in mare? An ergo Jonas quid majus, gravius, horribilius crudeli morte patitur? quia etiam mortem violentam, licet horrendam, sibi tamen suaviolem, faciliorem exoptat, & eligit? Quid est nunc illud immane tormentum, quo affligitur Jonas, quod etiam violentam mortem, præ illo sibi eligat, præoptet? est animæ tristitia, mentis extrema turbatio, & inquietudo: Audiatur Hugo Cardinalis in Jonam: *Fugit ex timore, & dormivit præ nimia tristitia.* Turbatio cordis, nimia animæ tristitia, periculosissima est animæ & certus interitus. Exemplar sit perditus Judas, Achitophel, Antiochus.

CONCEPTUS VI.

Desperatio, damnatorum supplicium est: secundum S. Thomam autem, desperatio procedit ex nimia dejectione, tristitiâ, ac pusillanimitate, ut non æstimet, aliquod bonum sibi possibile adipisci, nec ex malo ad aliquod bonum posse relevari, nimium tristes communiter desperarunt, violentas manus sibi injecerunt, ut Achitophel, Judas Iscariotes, & centum alii, ergo nimia tristitia, animi dejectio, & conturbatio, tormentum est infernale; agnovit hoc Judas, qui vendidit, & ad necem tradidit Christum Dei Filium; vix horrendum hoc scelus, Judas adimplevit, se damnatum, perditum agnoscit: ita Matth. cap. 27. *Videns autem Judas, qui tradidit eum, quod damnatus esset.* Desuper Origenes: *Quod scriptum est: Videns Judas, quod condemnatus est, ad Judam ipsum refertur, tunc enim sensit malum suum, & intellexit se condemnatum.* Judas vivus adhuc infernum, in hac vitâ sustinuit, sensit. Quæritis unde? Respondet Origenes citatus: Ex tristitiâ: *Non sapienter tristatus est, sed suscepit abundantiolem tristitiam, à Diabolo submissam, & ideo abiens, laqueo se suspendit.* Tristitia mentis crudele tormentum est, poenæ inferni, adhuc in hac vitâ prælibatio, supplicium Dei severissimum. Regem Antiochum, ob innumera scelera, vindex Deus plectere statuit: quo genere putatis? fors terra sceleratum absorbit? aut fulmen de cœlo contrivit? gravius supplicium requisivit: divina


divina Sapiencia, tristitiam, & animi perplexitatem: ita 1. Machabaeorum capite sexto: *Expavit, & commotus est valde, & incidit languorem pra tristitia: ecce pereit tristitia magna in terra illa.* Tristitia, tormentum est maximum severissimae Dei vindictae, quae execrandos plectere solet, in corpore, & animâ: uti concludit Chrysostomus Epist. 7. ad Olymp. *Tristitia, animarum crudelissimum tormentum, dolor quidam inexplicabilis, & iudicium omni iudicio, praedictaque dederis: Testem allego Cainum.*

CONCEPTUS VII.

Cain occidit fratrem suum Abel, Genes. 4. cap. *Cum essent in agro consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Horrendum fratricidium! quali poenâ putatis vindicat Deus? fors rogo, aut rotâ, vel crudelissimo mortis genere, Deus Cainem adjudicat? Tormentum omni morte, & supplicio crudelius, dederis, Deus in Cain decernit: & quod illud? dicit Scriptura eodem capite: *Posuitque Deus Cain signum.* Et quod fuit hoc signum? respondet Eucherius in Genes. cap. 4. nempe tristitiam. *Ipsum vocat signum, quod tremens & gemens, vagus, & profugus, sepe viveret.* Omni morte horribilior, atrocior est animae tristitia: tristes nempe, inquit Philo Hebraeus, de confusione linguarum *cut semper morientes, & nunquam emortuae sunt miseria, ut praesens illius, qui Cain nominatur.*

Epilogus.

Hortor ergo cum Ecclesiast: *Ne dederis in tristitiam cor tuum, sed repelle eam a te.* Cap. 38. Concludo cum Simone à Cassia, Tit. 1. Cap. 13. *Nil aliud plangendum ab hominibus, quam peccatum: plangendum enim peccatum, habet materiam deplorandi. Vult Deus fletum fieri, pro Spiritualibus malis, non autem pro Corporalibus damnis.*



IN FESTO SS. APOSTOLORUM
PHILIPPI ET JACOBI.

CONCIO SECUNDA.

Creditis in DEUM, & in me credite. Joann. 22. *Textus.*
cap.

Fiducia in Deum, est utilissima.

Thema.

Fiducia, & prudens in Domino confidentia, cœlestia pro se fortitur auxilia, quibus & hostis perit, & victoria arridet. Sacra Scripturâ, & Patrum elegantibus dictis assertum probo: *Non est confusio, confidentibus in Deum.* Marci 16. cap. *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.* Jerem. 17. cap. & Threp. 3. cap. *Bonus est Dominus, sperantibus in illum, anima querenti illum. Sperantem in Domino, misericordia circumdabit.* Canit David Psal. 31. unde se consolatur Psal. 79. *Mihi adharere Deo bonum est, & ponere in Domino spem meam. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in aeternum,* Psal. 124. *Hac est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.* S. Joann. Epist. 1. cap. 5. *Audiamus & Patres: Aeterna promisit Deus; si credidero, ex mortali fiam aeternus.* S. Augustinus Serm. 29. cap. 6. de verbo Dom. Et iterum: *Spes sit tecum, & erit tecum Deus, in tribulatione.* *Tantum per nos operabitur Deus, quantum se nostra in eum fiducia extendit:* inquit S. Bernardus Serm. 9. in Psal. *Qui habitat, quantum fidei capacis afferimus, tantum gratia inundantius haurimus:* scribit S. Cyprianus, Epist. 2. *Cui contingit, omnia corpora*

Exordium.

Textus Scriptura.

Patres.

S. Augustinus.

S. Bernardus.

S. Cyprianus.

M m

de

de sublimi despicere, & soli Deo constanter inniti summam fidem
verè felix & beatus censendus est: secundum præmium nam
virtutem sectanti, & sine pulveris jactu palmam auferenti
tingit gaudium, perorat Philo Hebræus, de Præmiis. Egregie Sa-
brofius in Psal. 61. *In istius vita tramite constitutus non desit
sperat in Domino, atque ei intimo consistetur affectu.* Confili-
S. Hieronymus in Psal. 107. *Non solliciti simus, si erit tribulatio
vel persecutio, in Domino sperantes faciemus virtutem, quæ
pro nobis.* Imploratâ S. Spiritûs gratiâ, desuper Conceptus
feram.

Philo Hebr.
S. Ambro-
sius.
S. Hierony-
mus.

CONCEPTUS I.

Confirmatio
seu
Deductio.

Samson fortissimus virorum, qui Leonem dilaceravit, mil-
ros mandibulâ asini occidit, portas urbis munitissimas contra
funes crassissimos ut filum unicum rupit; tandem vires et
deperdidit, ligatus captivus in carcerem deducitur; iterum
vires perditas recuperavit, ut olim fortis evasit. Quis causa
cat, ob quam vires deperdidit, deperditas denuò acquisivit?
nego, Samsonem vires suas in septem crinibus habuisse, dicitur
go, his abscissis perdidit fortes suas vires: Capillis recrevit
una cum his vires & fortitudo rediit. Aliam causalem allegat
Textus: Judic. 16. cap. *Dixit in animo suo, egrediar sicut m-
ci, & me excutiam.* Observat hic S. Cajetanus. Samsonem
in Deo, sed in propriis viribus, ac robore, plus nimium confidit
exinde à Deo derelictus vincitur, ligatur, incarceratur; cap-
Samson, in totum suam immutat mentem, non amplius in
bus, in robore, ac fortitudine corporis sui confidit, sed in
spem suam, ac fiduciam, in Deum collocat, & denuò fortissimus
Samson effectus, vincit Philistæos; ita Textus: *Invocato Deo
ait: Domine Deus meus! memento mei, & redde mihi nunc forti-
tudem pristinam, Deus meus! ut ulciscar me de hostibus meis, &
amissione duorum luminum, unam ultionem recipiam.* Debet
Cajetanus: *Fontem essendi, & Deum gubernatorem, & judicem
uni versorum invocat, nec confidit in auctis capillis, qui orat super
pro robore hac vice.* Triumphos attulit religiofâ fiducia: licet

crinibus auctus, quia ad Deum cucurrit, Deum invocat, in Deum omnem suam spem, & fiduciam collocavit Samson; Fortitudinem pristinam impetrat, vires recipit: erecta ergo in Deum fiducia, & prudens in Domino confidentia, pro se cœlestia fortitur auxilia. Videamus Eventum in David.

CONCEPTUS II.

David puer pastoritius, intrepidè concreditur cum gigante Goliath; hanc belluam prostravit, atque devicit, totum Israël salvavit. Quis dicat, quo astu, quibus armis, David cum Goliath concreditur? atque devicit? Arma, & stratagema exquisitissimum, erat firmissima in Deum fiducia: percipiamus Sacræ Scripturæ verba 1. Regum cap. 7. *Ego autem venio ad te, in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël, quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu meâ.* Desuper Basilius Seleuciensis Orat. 15. nomine Davidis loquitur: *Ego Deum tibi adversarium oppono, non enim viribus meis fretus, sed gratiâ, in aciem prodeco.* David ergo, qui in aciem, gratiæ viribus fretus, fiduciâ in Deum armatus prodiit, quas vires, confidentia in Deum ministret, ostendit; solâ in Deum fiduciâ vicit, atque prostravit. Exinde instructus David, omnes Saul Regis, contra ipsum infidias feliciter declinavit.

CONCEPTUS III.

Undique Saul Davidem persequitur; in durâ hâc persecutione, David refugium suum unicum, ad Jonathan accepit: *Fugit autem David de Najoth, quæ est in Ramatha, veniensque locatus est coram Jonathâ.* 1. Regum 20. cap. Cur fugit ad Jonathan? Glossa moralis docet: *Per Jonathan, qui columbæ donum interpretatur, Spiritus S. qui in Columba specie apparuit in Baptismo Christi, significatur, ad cuius auxilium, & Consilium debemus recurrere in angustiis.* Fuga David ad Jonathan, Davidis in Deum, magnam fiduciam, ac confidentiam designat, quâ mediâ, speciale in omnibus persecutionibus, David sensit auxilium, ac Dei adjutorium, omnes Saulis technas elusit, infidias, & pericula declinavit: cuius exemplo, in-

M m 2

quit

quit Hugo Cardinalis hic: *Viri justī, in tribulationibus suis fugere debent ad Christum, ut in eo consolationem recipiant.*

CONCEPTUS IV.

Filii Israël, ad ripam maris rubri, quanta auxilia divina nuerunt! persequitur eos Pharaon Rex, mittit Deus nubem, quae tergo, & retrò Judæos, tenebrosa erat, sicque impediens. Minus Pharaon Judæos videret, & ultrò persequeretur: A parte autem anteriore, hæc nubes instar ignis lucebat, viam, & iter dæis demonstrabat; ipsum mare se in medium dividit, ac transitibus Judæis præbet; ventus calidus unâ nocte fundum maris ad eorum pedes ravit, ut altero manè, sicco pede, salvi & incolumes transirent in tuto collocatis, fluctus maris in adversarios, exercitum Pharaonis irruunt, omnes Ægyptios miserè submergunt. Exodi 14. Quo medio tanta miracula, tantas gratias, & favores, tanta fiducia Judæi obtinent? Medium dicit Scriptura, fuisse firmamentum Dei confidentiam, & fiduciam: *Fortitudo mea, & laus mea, & factus est mihi in salutem.* Exodi 15. cap. Desuper Petrus Abbas lib. 2. in Exodum cap. 37. *Fortitudo mea, & laus Domini: Quid deinde? & factus est mihi in salutem, plantitudo mea; nam fortitudo capitis mei, fortitudo mea est.* Fides petra vitæ Dei fortitudinem, miraculosum adjutorium, cæque subsidium.

CONCEPTUS V.

Petrus Apostolus, super mare, instar solidi pontis deorsum atque progreditur: *Et descendens Petrus de navicula, ambulavit super mare.* Matth. 20. cap. Quid Petrum, ne mergatur, tenuit, in manifesto periculo tutum conservat? tenuit, conservavit in Deum fiducia: hoc insinuat magistri monitum: *Habete fiduciam in Domino: Eodem fidei quo semper, nunc quoque cæteris vacentibus, credit se posse per lucem magistri, quod ille poterat per naturam: jube me*

re ad te super aquas: tu praecepe; & illico solidantur unda, leve fiet corpus, quod per se grave est. Fiducia in Deum, conservat mirabiliter in periculis, adjuvat in necessitatibus. Testis Susanna, Danielis cap. 12.

CONCEPTUS VI.

Susanna ut adultera ad rogam educitur comburenda, in extremo versatur, famæ & vitæ periculo: Quid contingit? Ecce Daniel Propheta advolat, Innocentiam Susannæ defendit, scelus Judicum senum manifestat; cum Jubilo ergo ad lares proprias innocens reducitur, honori pristino restituitur, illaesa in extremis, conservata est Susanna. Avetis scire, quo merito? quâ prae-rogativâ? indicat meritum, prae-rogativam Sacra Scriptura, citato capite: *Suspexit in caelum, erat enim cor ejus, fiduciam habens in Domino.* Fiducia ad Deum defendit, protegit in periculis, adjuvit in necessitatibus. Paulus ad Hebr. cap. 1. promittit fiduciæ in Deum certam remunerationem: *Nolite amittere confidentiam, qua magnam habet remunerationem.* Remunerationem allegat Psalmista Ps. 36. *Adjuvabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos a peccatoribus, quia speraverunt in eo.* Et iterum Psal. 90. *Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum.*

CONCEPTUS VII.

S. Paulus nos hortatur cap. 4. *Adeamus cum fiducia, ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus, in tempore opportuno.* Franciscus Labata, verbo: Spes, observat, S. Paulum, thronum Dei non nominare, thronum majestatis divinae, seu justitiæ, vel omnipotentiae, sed thronum gratiae, & misericordiae. Cur hoc? majestas, justitia, omnipotentia Dei terret hominem, & conscientiae etiam mundissimæ timorem incutit, at gratia Dei, misericordia DEI, omnem etiam sceleratissimum peccatorem consolatur, ædificat, recreat, animos addit; confidenter accedentes ad thronum Dei, ad thronum gratiae, ad thronum misericordiae, S. Paulus accedere dicit, ad innuendum, confidentiam

Mm 3.

tiam

tiam erectam, & prudentem, qui habet ad Deum, indubiè gratiam, misericordiam, consolationem, auxilium, & adiutorium Dei sentiet, experietur. Confirmat Conceptum, mirabilis illa visio Joannis, Apocal. 4. cap.

CONCEPTUS VIII.

Fui in Spiritu, & ecce sedes posita erat, & super sedem sedens, & qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis & sardiniæ. Iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinae. Deus ille sedens, similis lapidi jaspidi, sardiniæ, & smaragdinae: Cur rebus his pretiosis gemmis similis describitur? S. Isidorus docet lib. 1. Ethymol. cap. 7. *Jaspis viridis gemma est.* Viridis autem color bonæ spei symbolum est; lapidem sardinem verò docet Isidorus citato libro cap. 9. rubeam esse gemmam: Color rubeus autem charitatis est symbolum, ut docet S. Gregorius in lib. 1. Regum cap. 16. *Rubor autem fervens, est charitatis Amor.* Smaragdum pariter viridem esse, asserit Plinius lib. 37. cap. 5. *Nullus, inquit, Coloris aspectus jucundior est, nam herbas quoque virentes aspiciamus, smaragdum tantum libentius aspiciamus, quando in viridius illo viret.* Inter binas virides gemmas, jaspidem & smaragdum, bonarum sperantiarum symbolum, mediâ gemmâ sardine, charitate & amore rubet Deus: in documentum: fiduciam Deum, bis, dupliciter, amorem, misericordiam, gratiam, & benignitatem de cœlis hauriet, gustabit, & fruetur. Audiamus citatam Labatam: *Ecce thronum Dei, sedet in eo Deus, charitate infinita fulgens; viridi colore hic similis est, propter spem, quam excitat in nobis, & rubro, propter nimiam suam charitatem, quâ etiam inducit nos ad sperandum, quòd ex hoc throno, non vacuis manibus discedemus.* Noverat hoc Abraham.

CONCEPTUS IX.

Abraham præcipit Deus: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum, super unum montium, quem monstravero tibi.* Genes. 22. cap. Abraham obediens proficiscitur, mandatum Dei exequi, filium in holocaustum occidere, & immolare, dumque jam monti vicinissimus esset, inquit ad pueros famulantes: *Expectate hic: &c. revertetur ad vos.* Quid loqueris Abraham? An non sincere cogitas offerre filium in holocaustum? Sincerissimè: Quomodo ergo cum veritate dicis: *Revertetur?* Quomodo salutem certam, vitam incolumem, divinum auxilium, & adjutorium compromittis? *Revertetur.* Audite, quid Scriptura testetur de Abraham: *Dixit autem Abraham: Deus providebit sibi victimam holocausti.* Confidit, speravit in bonitatem divinam, exinde tacitè sibi salutem certam, incolumitatem filio, infallibile Dei adjutorium, & auxilium compromittit. *Revertetur.* Pulchrè S. Eligius Hom. II. *In Deum spes est dicta, quòd sit pes, & progrediendi facultas.*

CONCEPTUS X.

S. Paulus ad Hebr. cap. 6. fiduciam in Deum anchoram vocat: *Fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus anima tutam, ac firmam.* Cur fiduciam in Deum, Anchoram comparat? Anchora, navigantium auxilium, salus & conservatio est; exurgunt horribiles fluctus, periclitatur navis: *Quid facit nauclerus?* Anchoram in mare demittit, hæc navim tenet, quò minus à ventis periculose jactetur, à procellis nõ concutiatur, sed firma ac fixa consistat: unde Ferrus anchoræ hoc lemma subscripsit: *Ex jactu salutem.* Uti ergo navigantes, per anchoram jactam, salvi conservantur; sic in mille adversitatibus, erecta & prudens fiducia, hominem in Deum confidentem conservat, protegit, tuetur, salutem ei procurat; ita subscribit Hugo Victorinus Instit. Monast. Serm. 4. *Spes est*

est anchora anima, eam servans, ne procellis tentationum rumpatur; igitur si te videris fluctuare in mari isto, noli avelli ab hac anchora, antequam intres portum. Pulchrè scribit S. Chryostomus Hom. 15. ad populum Antioch. Sicut naculera mari procellis agitato, nubibus transcurrentibus, & omnibus ministeria tumultuantibus, sedet ad gubernacula sine trepidatione; Sic illi sacram fiduciæ capientes anchoram in Deum, remanent inconcussi.

Epilogus.

Hortor cum S. Paulo ad Hebr. 10. cap. Nolite amittere confidentiam, qua magnam habet remunerationem.
Amen.



IN

*****:
 IN FESTO SS. APOSTOLORUM
 PHILIPPI ET JACOBI.

CONCIO TERTIA.

In domo Patris mei, mansiones multe sunt. Joann. ^{Textus.}
 22. cap.

Spes præmii æterni, consolatur in ærumnis. ^{Thema.}

Naturalistæ ajunt: Si quis viator viticis baculum te- ^{Exordium.}
 neat manibus, nunquam ex itinere fatigandum esse,
 cui ingeniosus Symbolista, hoc lemma inscribit: *Lassi-*
tudinem arcet: Præclarum hic viticis baculus, spei
 præmii cœlestis, symbolum est, nobis viatoribus, in-
 ter præsentis vitæ anfractus, assiduum robur tribuens, ne Spiri-
 tu, ac viribus deficiamus, sed in mille tribulationibus, & adverfi-
 tatibus mundi, consolati vivamus. Audiamus Sacram Scripturam ^{Textus Scri-}
 & SS. Patres: *Fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad* ^{ptura.}
tenendam propositam spem; Spem, inquam, cœlestis mansionis,
 inquit Paulus ad Hebr. cap. 6. *In silentio, & spe, erit fortitudo*
vestra, beati omnes, qui expectant Dominum, Ilai cap. 30. *Leten-*
tur omnes, qui sperant in te, in æternum exultabunt, & habita-
bis in eis, Psal. 5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra*
copiosa est in cœlis, Matth. 5. *Iterum videbo vos, & gaudebit*
cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis, Joann. 16.
 cap. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Psal. 16. Patres ^{Patres.} perci-
 piamus. *Si consideremus, quæ nobis promittuntur in cœlis, vile-*
 N n *scunt*

- S. Gregorius* *sciunt omnia, qua habentur in terris. S. Gregorius in hom. E*
 iterum lib.6. *Moralium. Spes in aternitatem, animum erigit,*
ideo nulla mala, qua exterius tolerat, sentit. Tandem animus à la-
boris afflictione subtrahitur, quando per spem ad summa suscitatur.
Et iterum super Ezech. Ille bene novit, in exterioribus
miseriis subsistere, qui scit de spe internâ semper gaudere. Perpa-
chrè scribit S. Hieronymus in Epist. Omne opus leve fieri solet,
cum ejus pretium cogitatur, & spes pramii, solatium fit labori.
- S. Hieronymus.*
- Tertullianus* *Egregie habet Tertullianus apud Lyr. in Apophit. S. Ignatii: Hi-*
 tantum agite, *conscendite cogitationibus vestris in palmam, con-*
 siderate *pulchritudinem, & suavitatem celestis gloria, vagamini*
 per *pulcherrimas mansiones, quas Christus ait esse in caelo,*
 quoties *eas Spiritu ambulaveritis, toties in carcere non eritis.*
crus sentit in nervo, cujus animus est in caelo. Auree perorat.
- S. Chrysostomus* *Chrysostomus Hom. 24. in Matth. Si nautis minaces pelagi*
us, si tempestates, atque hyemes agricolis, si vulnere, cadescentibus
militibus, si gravissimi illi ictus, plagaque pugilibus leves videntur,
 atque *tolerabiles propter spem temporalium, ac pereuntium*
 commodorum; *multo magis cum caelum proponatur in pramium,*
 nihil *ex presentibus adversitatibus sentietur. Et iterum Hom. 79. in*
 Genes. *Spes bona, hujus vite labores, semper immittit,*
 deinde *vires roborat, & confirmat, non solum animam, sed corpus.*
 Imploratâ *Spiritus S. gratiâ, desuper Conceptus auctus*
 mus.

CONCEPTUS I.

Confirmatio
feu
Deductio.

Creationem mundi Deus à deliciis orditur, omnium primis
 creat caelum, quod omnem creaturam exhilarat; ita Moyses Ge-
 nes. cap. 1. *In Principio creavit Deus caelum.* Optimus Deus clau-
 dit opera creationis, delitiosâ requie: *Requievit die septimo, et*
omni opere, quod patrârat. Genes. cap. 2. Cur à deliciis, creationem
 Deus orditur, & eandem claudit delitiosâ requie? Inter finem &
 initium

initium creationis, quale est medium? Medium molestum, tadio-
sum, laboriosum; creavit Deus terram, *terra autem erat inanis &
vacua, & tenebra erant super faciem abyssi*. Tenebræ, non nisi ter-
rores, angores, homini incutiunt; inanis terra, o quot sudores, labo-
res, tædia, tristitias, molestias, miseras homini causant! Medio huic
molestissimo, præmisit providentia divina, initium, & principium de-
litosum, ac gaudiosum; Medium hoc laboriosum finiit Deus deli-
catâ, & placidâ quiete, ut homo, in medio ærumnosi mundi positus,
quocunque se vertat, sive ad dextram, sive ad sinistram, consolatio-
nem inveniatur: Orientem versus aspiciens, cœli delitiis se console-
tur, Occidentem intuens, post hanc diem vitæ, requiem suavissi-
mam, sibi paratam esse recordetur: his undique consolationibus cir-
cumdatus, fortiter devincat mundi ærumnas, labores, sudores, angore-
res constanter perferat. Huc collimant verba S. Ambrosii. Enar-
rat. I. in Genes. *Nonne meritis postremus homo, ingressus est stadium,
cui parabatur corona, ut eum precederet cælum, quasi sui cælum,
sursum enim vocant animam initia sua,* inquit Seneca Epist. 80.
Patet in Jacob.

CONCEPTUS II.

Jacob in Mesopotamiam profecturus, mirabilem habet visionem;
*Vidit scalam, cujus summitas caelos tangebatur, & Dominum innixum
scale.* Genes. 28. Cap. Per hanc visionem, quasi patentem aditum
in cœlum, in gloriam æternam, Deus monstravit. Cur hæc contin-
git Jacobo gratia? restabant Jacob multa perferenda; longa servitus,
in quâ vigiliis, æstu, & gelu nimium vexatus, à duritiâ patris sui ni-
mium mortificatus, labore necessario lassatus, durè, & miserè ha-
buit: ne ergo in tantis miseriis animo deficeret, viribus succumbe-
ret Jacob, Deus in gloriâ se ei videndum præbuit, patentem adi-
tum ad cœlum demonstravit, quâ gloriâ cœlesti, quò patente adi-
tu in cœlum, Jacob in longâ, & durâ servitute consolaretur, fortis,
invictus in laboribus, & afflictionibus permaneret; est hæc piissima
mens S. Hieronymi Epist. ad Julianum. *Scala innixus est Deus, ut
lassis manum porrigeret, suo aspectu, ad laborem provocaret.* Sicut
nunc Deus, Jacob delitiis cœli, ita Moysen sine delicato subsequen-
te, ad fortia stimulat.

Nn 2

CON-

CONCEPTUS III.

Virga Moysis, quæ projecta in terram, versa est in colubram, exterruit Moysen, ut fugeret, Exodi 4. cap. exterritum fugiente Moysen, ut animum reassumeret, in clamat Deus, ac jubet: *Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus: extendit, & tenuit, & saque est in virgam.* Cur quæso mandat Deus, serpentem in caudam apprehendat? serpens, ut scimus, maxime homini infidiosum, molestum est animal? designat, molestissimas mundi ærumnas, & misérias, inquit Baëza hic. Cauda serpentis, finem denotat, capitulum: Cauda, seu finis miseriarum, dolorum, laborum mundi, & æterna requies, indicante Salvatore Matth. 11. cap. *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, & ego reficiam vos: colligam gum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris.* Caudam ergo serpentis, jubet Deus Moysi, & omni homini, apprehendere, finem inquam laborum, qui est dulcis requies, intuitu, & pens miseriæ humanæ, vertetur in baculum, in sustentaculum consolationem. Huc cito S. Franciscum Seraphicum, qui inter firmitates corporis, perfluit consolatissimus, interrogantibus tribus, quid eum adeo afflictum, tantum consoletur? Respondit: *Tantum est bonum, quod expecto, ut omnis ærumna me deleat.*

CONCEPTUS IV.

Mirabilia sunt verba Jacobi, benedictis filium suum Issachar *Issachar asinus fortis.* Genes. 43. cap. Quid indicare intendit benedictus Jacob, filium suum Issachar asinum compellendo? Noscimus, asinum ad onera portanda fortissimum, & patientissimum esse, unde legitur ei inscriptum gerit: *Nihil onera curat, vel gestat sine murmure pedibus, vel sustinet, haud calcitrat;* & figurat hominem, in tribulationibus, miseriis hujus mundi patientem, consolatum; inquit Abulcas Abbas, Serm. 38. *Quia patientes in injuriis, sustinent omnia pro eis, cui se probaverunt.* Asinum ergo Issachar compellendo, indicat voluit Jacob, ipsum fortem, invictum, patientem in adversitatibus ac ærumnis futurum, ut verba Textus explicant: *Supposuit leonem*

rum suum ad portandum. Et quid tam fortem, invictum, patientem, consolatum in mundi ærumnis facit Issachar? fecit cœli gloria, quam sperabat, requies æterna, in quam confidebat: sic Textus: *Videns requiem, quod esset bona.* Desuper Richardus à S. Victore lib. de Genes. cap. 39. *Quia Issachar multam concupivit requiem, ad omnem laborem, fortis perduravit.*

CONCEPTUS V.

Ezechiel cap. 1. vidit quatuor animalia: *Planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli*, alii legunt: *Pedes eorum pedes pennati.* Pedes vituli, graves ac tardos experimur, quibus Rex Siculus inscripsit lemma. *Lento gradu.* Pennata e contra, leviter & velociter, per aëra ferri conspicimus, quibus Aresius, lemmatis loco adnectit: *Serpere nesciunt.* Quid Mysterii nunc subest, quod pedes vituli, ut vidit Ezechiel, transmutatos quasi, in pennati pedes, alii asserant? An fors per hanc mutationem indicatur, quod animalia illa, quæ tarda uti boves procedebant, tandem velocissimè ut aves volabant, & deferebantur? Sed quid adeo veloces, promptos effecit? indicat contextus Prophetiæ Ezechielis, cap. 1. *Super capita animalium similitudo firmamenti.* Effigies quædam cœli, æternæ requiei, capitibus eorum imminebat; hæc effigies cœli, effecit, illa animalia, olim tarda, inepta, nunc velocia, & exprompta; ad significandum, illum, qui sibi ob oculos ponit cœlum, cogitat gloriam, mercedem, & quietem, ita exinde animari, & incitari, ut ex tardo, pigro fiat velox, zelosus, in laboribus, ærumnis, in quibus antea tedium, nauseam habuit, gloriæ cœli, mercede, quiete recogitatâ, in iisdem miseriis, & calamitatibus, postea sentiat gaudium, delicias, consolationem. Audiamus S. Gregorium, in Moralibus lib. 10. cap. 12. *Mala vite presentis, tanto durius animus sentit, quanto pensare bonum, quod sequitur, negligit; & quia non vult perma considerare, qua restant, gravia æstimat esse, qua tolerat; at si semel quisque ad æterna se erigat, atque in his, qua incommutabiliter permanent, oculum cordis figat, propè nihil esse hoc conspiciat, quidquid ad finem currit.*

CONCEPTUS VI.

Liber quartus Regum c. 2. narrat; stiterat ad Eliam currus igneo
 flammeique equi, qui scintillas emittebant: *Ecce currus igneus et
 equi ignei*; vix currum Sanctus vidit, & imperterritus intrat: *Et
 ascendit Elias*. Quis non admiretur factum Prophetæ? Ignem,
 bellæ timent; Ignem leo & lupo fugit: ignitum currum, ignito
 equos non horret, non timet Elias, intrepidus ascendit. Quid an-
 mos addit? Quid metum tollit? Quid Eliæ horrendas ignis flam-
 mas suaves, delitiosas, jucundas reddit? Respondet Basilius in lib.
 Regum: *Elias currus equosque minimè expavit, verùm itineris
 perni desiderio incensus contrà formidolosa est ausus, ac hilaris
 densque, flammantes ascendit currus*. Notate verba: *Itineris
 perni desiderio*: Spe gaudii cœlestis, in mediis flammis, vivit
 solatus, & horridas flammis, præmii æternæ gloriæ suaves
 dit.

CONCEPTUS VII.

Maximæ reverà fuerunt adversitates, quæ obruerunt castissimum
 Joseph, dum à propriis fratribus venditus, paternis laribus
 mancipium vile in Ægypto est factus, & falsò accusatus, & in
 cula conjectus, reus mortis est judicatus, & profectò miser ad-
 scens, tot angustiis est confectus, ut anima, & cor ejus, clavo sum-
 doloris, quasi transfossus videretur, juxta vaticinium David. Ps.
 104. *Ferrum pertransit animam ejus*; in his omnibus miseris
 laris, consolatus degit Joseph; Quid consolatur eum? Quid in
 ærumnis confortavit? dicam in sequenti narratione: somniaverat
 Joseph, quasi sol & luna, & undecim stellæ eum adorarent; quod
 somnium candidus, juvenibus, Patri suo gustosè enarrat: *Vidi per
 somnium, solem & lunam, & stellas undecim adorare me*. Notaverat
 sibi hanc Prophetiam Joseph, gloriam, felicitatem futuram, quæ
 eum expectat, præ oculis habuit, quæ eum in tantis adversitatibus
 inconcussus conservavit, roboravit, confortavit, animavit. S. Cris-
 tillus Alexandrinus ponderat hoc factum, & argumentatur: quod
 si 6-

si solum regnum temporale, in somno visum & ostensum, ita potuit consolari, & animare Josephum, inter tot adversitates, ærumnia, & angustias; Quid non faciet regnum cœli, regnum æternum, quod Deus non tam ostendit, quàm certissimò promittit? certè dulcorabit omnia mundi amara, suavia reddet omnia mudi aspera, facilia faciet, omnia mundi dura & difficilia, læta omnia mundi tristia. Concludit Tertullianus, ut supra: *Quoties cœli spatia deambulaveris, toties in carcere non eris, est in carcere. Respice, quod promissum est, omne opus leve solet fieri, quando ejus pretium cogitatur.* Inquit S. Hieronymus, ad Demetriadem. Concludit S. Chrysolomus: *Nihil enim eorum, quæ gravia sunt, grave aliquid existimat, qui cœlestia recogitat.* Ita de se S. Augustinus in Manuali: *Infletur stomachus, infirmetur totum corpus, deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus, ingrediatur putredo in ossibus meis, & super me scateat;* in his omnibus se consolatum futurum, confidit Augustinus: Causam subjungit; *Ascendam ad populum accinctum nostrum, requiescam.* Unde

Hortatur nos dictus magnus Augustinus, in Soliloq. 39. *Si vis sustinere laborem, attende mercedem.* Inclamo ergo omnibus, cum matre Machabæorum. 2. Machab. cap. 7. *Peto nate, ut cœlum aspicias, ita fiet, ut non timeas;* in mille ærumnis vivas consolatissimus.
Amen.

Epilogus.



IN



IN FESTO ASCENSIONIS.
D. N. I. C.

CONCIO PRIMA.

Textus. Exprobravit incredulitatem eorum. Marci 16. cap.

Thema. Qui corrigit Proximum, multum sibi meretur.

Exordium.



Angelicus Doctor docet, Part. 2. Quæst. 113. *Bonum est unius anima, majus est, quam bonum naturæ universi.* Causam annectit S. Bernardus, *Complut. 3. Totus iste mundus, ad unius anima pretium dare non potest, non enim pro toto mundo Deus, animam dare voluit, quam pro animâ hominis dedit.* Atqui gratia acquiritur, procuratur, sedulâ correctione, & correptione, qui fraternè proximum corrigit, ad emendationem perducitur.

Textus Scripturae.

Audiamus Sacram Scripturam: *Qui corrigit hominem, gratiam postea inveniet:* inquit Salomon Prov. 17. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum, inter te ipsum solum, si te audierit, lucratus es fratrem tuum,* Matth. 18. cap. *Qui converti fecerit peccatorem, ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum,* Jacobi cap. 5: Audiamus Patres: *Magna mercedis est, inquit S. Gregorius hom. 26. eripere carnem à morte, quamquam morituram, quam est meriti, à morte animam liberare, in cælesti Patriâ, sine fine vitam.* Conformiter scribit S. Chrysostomus, Tom. 6. Hom. 6. de correptione: *Magnum bonum est, inopiâ pressorum misereri, secundum*

Patres.

*S. Gregorius
S. Chrysostomus.*

iale tamen, quale est, ab errore alios avocare; nihil enim cum anima conferendum, ne mundus quidem universus: quamvis immensam pecunia vim, pauperibus elargiaris, nihil tamen tale prestabis, quale, si vel uzam animam convertas. Et iterum Hom. 7. in Genes. Ut anima corpore melior est, ita iis, qui indigentibus pecunias, & facultates suppeditant, majoribus præmiis digni sunt ii, qui admonendo in viam rectam desides ducunt. Præclare scribit Simon à Cassia, lib. 9. cap. 44. *Corripiens in magnis lucris efficiatur: nulla majora lucra, quam animarum, pretiosior est illa negotiatio, quam auri & argenti, primi & purissimi.* Unde inquit S. Dionysius Areopagita, in Axiomate: *Omnium divinarum divinisima extat perfectio, Dei cooperatorem esse in salute animarum, ad suum Creatorem.* Et Albertus Magnus, in Lucæ cap. 17. scribit: *Nullum opus ita placet Deo, sicut fraterna reductio, qua ex charitate producitur.* Consolatè loquitur S. Bernardinus Tom. 4. serm. 22. *Si dares omnia pro Deo, non tantum lucraberis, quantum corrigendo proximum.* S. Hieronymus habet citatus à S. Thomâ, in Catenâ aureâ: *Per salutem alterius, nobis quoque acquiritur salus.* Concludit glossa interlinearis, in Epistolam S. Jacobi. *Qui errantem corrigit, per hoc ampliora gaudia vita cælestis sibi conquirat.* S. Spiritus gratiâ, desuper Conceptus pandam.

Simon à Cassia.

S. Dionysius Areopagita.

Albertus Magnus.

S. Bernardinus.

S. Hieronymus.

CONCEPTUS I.

Christus Magister noster, Joann. 17. cap. quasi ex Justitiâ, præmium & mercedem, à Patre suo aeterno petit & postulat: *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam; clarifica me Pater, claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* Infinita sunt Christi merita, ob quæ à Patre suo claritatem cœlestis gloriæ expetit, sed in specie, quale illud est opus, quod Christus allegat: *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam.* Fors est crudelissima passio, & mors in cruce perpessa? ante hanc verba citata protulit Christus, ergo opus, propter quod claritatem cœlestem,

Confirmatio seu Deductio.

O o ut

ut præmium, ut mercedem expetit, opus ab ipsâ passione, & morte crucis distinctum est: Quod nunc illud? nominat Rupertus Abbas, correctionem fraternam, instructionem proximi ad bonam ad animæ salutem intelligens; hanc autem quàm zelosissimè consummavit Christus, ut videre est Joann. 3. cap. Nicodemus palam suam in Christum profiteri timuit; hinc semper noctu, Magistrum Christum accessit; Correctione desuper indigebat, quàm suavissimè Salvator impertitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest intrare in Regnum Dei; quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, Spiritus est: non moritur, quoniam dixi tibi, oportet vos nasci denuò, Spiritus ubi respicit. Corripit hisce timorem Nicodemi, majorem, animosiorum Spiritum reassumendum esse, instruit. Sic corripit, & instruit discipulos Apostolos: Sic, non potuistis unâ horâ vigilare mecum: Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem; Spiritus promptus est, caro autem infirma, Matth. 26. cap. Quàm suavitè corripit Samaritanam illam, Joann. 4. *Quinque viros habuisti, nunc quem habes, non est tuus.* Correctio fraterna, instructio secreta, est ergo illud opus speciale, quod gloriâ cœlesti præcedendum filius Dei postulat: in documentum nobis, quàm Deo gratum & acceptum, meritorium opus faciat, qui fratrem errantem corripit, monet, hortatur, instruit; opus inquam adeò meritorium, ut claritate æternâ, gloriâ cœlesti, indubiè Deus illuminet, ut scriptum legimus Danielis cap. 12. *Qui ad justitiam ambulaverunt multos, fulgebunt sicut stelle, in perpetuas æternitates.**

CONCEPTUS II.

Apostolos suos, Christus in ultimâ cœnâ, in Sacerdotes consecravit, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quotum nunc Sacerdotes Christus diligit, foveat, eis additus sit, ut monstravit illo opere charitatis insigni, ubi sacerdotum pedes lavavit, ut legere est Joann. 13. cap. Ubi autem eventum est, ut Apostolos suos Christus, ut Correctores, Corruptores, Doctores, Instrutores errantium, malè operantium, in univèrsam mundum ablegaret.

Ite in uniuersum mundum, & predicato Evangelium omni creatura.
 Matth. 26. cap. Christus non unum, sed omnem charitatis actum, eis
 exhibet; non unam corporis partem, sed totum corpus, omnia
 membra charitate profundit, donis de cœlo ditat, & præmiat;
Repleti sunt omnes Spiritu S. Act. 2. cap. Correctores, correptores,
 Doctores, instructores donis Spiritus cumulat: ad innuendum, quam
 gratum, acceptum Deo opus sit, correctio, ac proximorum discre-
 ta instructio. Verissimè Bernardinus, ut supra: *Si dares omnia pro
 Deo, non tantum lucraris, quantum corrigendo proximum.*

CONCEPTUS III.

Triginta argenteis diuenditus est Christus Salvator noster. *Con-
 stituerunt ei triginta argenteos*, Matth. 26. cap. Cur rectè trigin-
 ta? volunt interpretes, per triginta argenteos denotari annos, qui-
 bus vixit, & conversatus est Christus in terrâ; si sic, quæ causa subest,
 quod solum triginta argenteos constituunt, cum tamen Christus
 triginta tribus annis vixisse tradatur? Pro ultimis tribus annis vi-
 tæ Christi, nullum pretium constituunt, ultimos tres annos con-
 uersationis inestimabiles, nullo pretio taxandos, tacitè fatentur.
 Quare? ultimis tribus annis correctorem, correptorem, Doctorem,
 instructorem egit Jesus; corrigere proximum, ad viam virtutis re-
 ducere, in bonis actibus & moribus, ad salutem benè instruere, tan-
 ti meriti actio est, nullo pretio temporali taxanda, meritoria omni-
 bus donis & gratiis diuinis. Audiamus S. Bernardinum Tom. 2. Serm.
 28. Art. 2. cap. 1. *Considerandus est fructus fraterna correctionis,
 qui triplex est; primus est lucrum anima unius; secundus infusio
 gratiæ; tertius adeptio gloriæ.* Consolatè scribit S. Chrysostomus,
 Tom. 6. Hom. de Correctione: *Quod neque jejunium, neque humi-
 dormitio, neque aliud quoddam opus bonum, prestare potest, hoc
 curata fratris salus efficere potest.*

CONCEPTUS IV.

Claudius in Paneg. Olibrii refert, Romanos plurimas & varias
 parâsse coronas, quibus heroës præmiabant: erat primò corona
 trium-

trumpalis, quæ dabatur Imperatoribus, de hostibus suis triumphantibus. Corona obsidionalis, quam offerebant iis, qui locum aliquem ab obsidione liberabant; Muralis, quam Reges concedebant iis, qui primi hostium ascendebant muros, & in eis signa sua collocabant; Castrensis, quæ donabatur ei, qui in prælio primus hostium irruerat castra; Navalis, quam illi dabant, qui primus hostium invadebat naves; Civica, quæ coronabatur ille, qui civem aliquem à mortis eripiebat periculis: Omnes enumeratæ coronæ ex auro, & argento pretiosæ erant, præter civicam, quæ simpliciter ex ligno constructa fuit. Ita Plinius lib. 16. cap. 5. *Cum res quas coronas auro commendarent, salutem civium in pretio non noluissent.* Sed cur coronam civicam non pari modo pretiosam ex auro & gemmis divitem construxerunt? indicare voluerunt Romani, omnia heroica facta, & gesta, ut triumphos obtentos, obsidionem solutam, mœnia conscensa, castra expugnata &c. digne auro, gemmis, & thesauris solvi, & compensari posse; sed par, & dignum præmium reperiri in mundo non posse, quo honoraretur, præmiarent eum, qui proximi salutem, operam navaret, qui civem aliquem conservaret: In cœlesti, & opulento cœlorum arario, in ejusmodi homine, solum dignam posse reperiri coronam, solum pretium, & præmium, sibi persuadebant. Qui proximum digne corrigit, civem cœli lucratur & conservat: *Qui converti fuerit peccatorem ab errore via sua, salvabit animam ejus à morte.* Jacobi 5. cap. Præmium condignum pro eo non est in hoc mundo, immarcescibilis corona gloriæ, expectat eum in cœlis. Dicitur S. Chrysostomus Hom. 3. in Genes. *Si pro pecuniarum sumptibus, & largitione, tot coronæ, tantæ merces, tanta fiat retributio, quomodo non plurima bona, pro allato animâbus auxilio nobis reddentur?* Patet hoc ex Jeremiâ cap. 15.

CONCEPTUS V.

Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris, inquit Deus ad Jeremiam 15. cap. Separare pretiosum à vili, inquit S. Chrysostomus modò citatus, est per discretam correctionem, proximum

ab errore ad virtutem, quasi manuducere: qui sic utiliter corrigi-
git, *quasi os meum erit*, promittit Deus. Quid est hoc? Quasi os
meum eris? sunt Doctores, qui per os Dei, omnem cœli gratiam,
favorem, clementiam, omne bonum intelligunt: juxta verba Pſal-
44. *Eruclavit cor meum verbum bonum.* Tirinus Commentario
in Jeremiam, per os Dei intelligit Dei paternam undique assisten-
tiam, auxilium, adjutorium; quasi Deus promitteret, discretè proxi-
mum corrigenti, & errantem ad viam veritatis reducenti, omnem
cœli gratiam, favorem, & clementiam, paternam semper assisten-
tiam & auxilium. Nervosè concludit S. Chrysoſtomus, ut superiori
Conceptu finiit: *Qui ab errore ad veritatem, proximum velut
manuducit, aut à peccato ad virtutem, quantum homo valet, viam
illi monstrat, ille me (Deum inquam) imitatur.* Si Deum imitatur,
quantum gratiis cœlestibus ditabitur, remunerabitur; optimè S.
Bernardinus: *Si dares omnia pro Deo, non tantum lucraberis, quan-
tum corrigendo proximum.*

Hortor ergo omnes cum S. Paulo 2. ad Timoth. cap. 4. *Inſta oppor-* *Epilogus.*
tune, importune, argue, obſecra, increpa, in omni patientiâ, & doctri-
nâ. Exinde promittit S. Petrus 1. Epist. cap. 5. *Et cum apparuerit Prin-*
ceps Paſtorum, accipietis immarceſcibilem gloria
coronam. Amen.



O o 3

PRO



PRO FESTO ASCENSIONIS
DOMINI.

CONCIO SECUNDA.

Textus. *Elevatus est in caelum.* Marci 16. cap.

Thema. Virtuti indubitatum manet praemium.

Exordium.



Irduosa ac bonae vitae Academicus attribuit Emble
Cornucopiam pretiosissimis refertam, cum lemma
Tandem praemiabitur virtus: eleganter de certop
mio virtutis, in Amphitrione scribit Plautus :

Virtus praemium est optimum, vi
omnibus
Rebus anteit profecto ; libertas, li
vita,
Res, Parentes, Patria, & prognati tutu
tur, servantur,
Virtus omnia in se habet: omnia adha
bona, quem penes est virtus.

*Textus S.
Scriptura.*

Probemus Sacra Scriptura, ac SS. Patribus: *ibunt de virtute
virtutem, videbitur Deus in Sion.* Canit David Psal. 83. *In
cunqu die invocavero te, exaudies me; multiplicabis in
ma mea virtutem.* De virtuoso inquit Eccles. cap. 6. *Quis*

arat, & qui seminat, accede ad illam, (virtutem nempè) & susti-
 ne, (id est, exspecta) bonos fructus illius, in opere enim illius exigu-
 um laborabis, & citò edes de generationibus illius. De virtute lo-
 quitur Salomon in Prov. cap. 3. Longitudo dierum in dextera ejus,
 & in sinistra illius divitiae, & gloria. Et iterum Eccles. cap. 4. Qui
 tenuerit illam (virtutem inquam) vitam hereditabunt, & quo
 introibit, benedicet Deus. Unde Sapientiae 7. testatur: Venerunt
 autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas,
 per manum illius. Hinc concludit Eccles. cap. 6. In novissimis in-
 venies requiem in eâ, & convertetur tibi in oblectationem. Audia-
 mus Patres: Qui deficit sibi, ut virtuti adhaereat, accipit quod æ-
 ternum est. S. Ambrosius super Psalmum beati immaculati. Ubi
 virtus est, ibi & felicitas. S. Augustinus lib. 4. de Civit. Dei: Vir-
 tus gradus est ad gloriam, virtus mater est gloria, sola est cui glo-
 ria jure debetur, & securè impenditur. S. Bernardus serm. 1. de
 Natali S. Victoris, & iterum in serm. Vera divitiae non sunt opes,
 sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives
 sit. S. Chrysostomus ait in Psal. 48. Nil facit nomen ita immorta-
 le, ut natura virtutis. Et in Psal. 134. Extremus virtutis finis
 est, quod facit ad summum bonorum fastigium pertingere, & Deo
 esse similes quantum conceditur. Concludit Cassiodorus in Epi-
 stola: Si benè merentibus aliena gratia non respondet, merces ta-
 men sua virtuti non deerit. Implorata Dei gratia desuper Con-
 ceptus dictabo.

Patres

S. Ambro-

sius.

S. Augusti-

nus.

S. Bernardus

S. Chryso-

stomus.

Cassiodorus.

CONCEPTUS I.

De Abel occiso inquit Sacra Genesis cap. 4. Vox sanguinis fratris tui Abel, clamat ad me de terra. Vox & clamor non mortui, sed viventis sunt indicia, clamat vox sanguinis occisi Abel, ergò Abel occisus etiâ post funera vivit, immortalis existit? ita asserente Basilio Seleucienſe Orat. 4. Vitam sustulisti, sed non & vocem abstulisti. Confirmatio.

*stulisti. Sanguinem contra te accusatorem armasti, cade adu-
sarium concivisti tibi immortalem. Immortalem quid fecit. A-
lem? fecit virtus, fecit innocentia; temporanea fuit Abelis sa-
ficii hostia, sed vox resonabit Abelis æterna; inquit Naxera in
Regum cap. 14. §. 73. Præclare S. Augustinus lib. de vita bea-
Est aliquid si manet, si consistat, si semper tale est, ut est
Eleganter canit Anonymus:*

*Discite virtutem juvenes, nam sola beatos
Nos facit, & diræ non timet arma necis,*

Melius Seneca in Hercul:

*Nunquam Stygias fertur ad umbras
Inclita virtus, vivite fortes;
Nec lethæos serva per amnes
Vos fata trahent.*

Virtus, neque tempore perit, neque morte. Genesis 35. adu-
tur.

CONCEPTUS II.

*Debora, nutrix Rebecca, sepulta est ad radices Bethel
quercum: Genes. 35. Cur rectè subter quercum? Quercus æ-
tatis est Symbolum, inquit Naxera in cap. 18. libri 2. Regum.
demicus inscribit quercui hoc lemma: Durando secula vincit
ste Virgilio lib. 2. Georg.*

*Immota manet: multosque per annos
Multa virum volvens, durando secula vincit.*

Sub quercu sepelitur Debora, perennatura in æternitatem:
Deboram æternam fecit? dicit Scriptura: *Debora nutrix Rebe-
Philo de congressu quærendo, interpretatur: Rebecca hoc nomen
hebraicum, latinè significare Patientiam: Debora ergo nutrix*

becca, id est. *Patientia*: Debora quia Patientiam virtutum optimam, & maximam custodivit, & aluit, sub quercu sepelitur, in Symbolo deprædicatur, æternum vivens; virtus post funera vivit.

CONCEPTUS III.

S. Chrysologus Serm. 24. observat; Christum virtutes Apostolorum adjecto calculo numerare, & terminis, ac fine describere: præmio verò virtutis, Christus nullum calculum, numerum, seu terminum apponit: Audiamus Textum: *Si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi.* Lucæ 13. audistis virtutis calculum, numerum, ut duo, ut tria: percipiamus nunc præmium: *Faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Quamdiu discumbere faciet? quantum temporis ministrabit illis? fors mille annis, centum mille annis? numerus non additur, æternum, sine fine intelligitur: Virtutes æternum habent præmium, mercedem nunquam terminaturam. Ita Philo, lib. de sacrific. *Virtutes carent tempore, non solum quia tempus omne potest virtuti famulari, sed quia virtutum præmia nesciunt terminis circumscribi.*

CONCEPTUS IV.

Numerorum cap. 17. Miraculum grande narratur: Arida & ficea virga Aaronis viruit, flores protulit, ac perdulces fructus: ita Textus: *Invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi; & urgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt.* Quid Deus hoc miraculo edocere voluit? Documentum indicat S. Gregorius lib. 14. Moral. cap. 28. *Ecce virga Levi viruit, & quid virtutis in munere Aaron haberet ostendit.* Ex mente ergo S. Gregorii, viredo, flos, & fructus virgæ Aaron, virtutem ejus designant. Virga viret: viredo, vitæ certum signum est; Sic virtuosi æternum vivent: subscribente David Psal. 3. *In memoria aterna eris justus.* De Virtuoso scribit S. Gregorius, lib. 11. Moral. cap. 54. *Eo ipso enim, quod facta sua solius Dei oculus imprimit, nomen sua memoria in aternitate figit;* Conformiter verbis Eccles.

P p

cap.

cap. 44. *Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem, & generationem:* Virga floret; flos coronae efformat, quasi virtuosi certo coronandi sint: Psalmista testatur: *Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Virga, etiam fructus dulces protulit: Virtutes copiosos fructus mercedis temporalis, & aeternum praemium reportabunt. Huc faciunt verba 2. Regum. cap. 23.

CONCEPTUS V.

Sicut lux aurora, Oriente sole mane absque nubibus rutilat, & sicut pluvias germinat herba de terra; haec verba Doctissimus Sanctius virtuoso, virtutum studioso, inscribit; talis nempe est sicut lux aurorae cui Academicus subjungit lemma: *Cum luce letitiam:* Sic splendor virtutum salutem perennem corpori, animae una adfert: Aurorae inscribitur lemma: *Omnia inaurat,* sicutus omnia opera aurea, id est, pretiosa, summi valoris, & pretiosificat, & sicut mediante sole ac pluvia tellus undique germinat, & fructus copiosissimos portat; Sic media virtute, virtuosus innumerebiles fructus felicitatum, honorum, dignitatum procurat. Accipimus verba Sancti: sicut lux aurorae &c. *Haec de justo, virtutes intelliguntur, cui Dominus Deus est, cujus vita, ut splendet animis, atque ornamentis, sic etiam aliis fortuna bonis, & ornamentis cumulatur.*

CONCEPTUS VI.

Considerate mecum ter-mitem JESUM, Magdalenam in domo Simonis, solum vocare mulierem, *vides hanc mulierem* Lucae 7. In horto autem JESUS in forma hortulani Magdalenae apprensus, eam gratioso nomine MARIAM compellere; *Dicitur JESUS, MARIA,* Joannis 20. Cur hic Magdalenam gratiosissimo nomine MARIAM, compellat? Et quid hoc nomen MARIAM significat? ad utramque quaestionem respondeo: MARIAM, haec

gratiosum nomen, idem significare quod Dominam interpretatur Richardus à S. Laurentio lib. 1. de laudibus B. V. In hortum venit Magdalena, non amplius sordida peccatis, sed virtuosam pœnitens, & peccatorum generosa debellatrix, & virtuosam pœnitentem CHRISTUS, MARIAM, id est Dominam compellat, intelligas; virtutem imperare, virtutem dominare, virtutem ad regale solium, & sceptrum, ad coronas elevare, inaugurare, promoveri. Virtus perpetuum comitem habet fortunam. Videre est in filio prodigo.

CONCEPTUS VII.

Filium revertentem ad lares paternos insignivit ter optimus Pater annulo: *Dare annulum in manu ejus*, Luc. 15. Famelicum pascere, nudum vestire, paterna charitas exigebat, & filii dura necessitas postulabat, annulo ornare, videtur otiosum. Cur ergo Pater annulo nobilitat dexteram paulò ante sordescens? filius reversus ad Patris pedes supplex prostratus virtutis pœnitentiæ insigne exemplar est, annulus, honoris, dignitatis est insigne; virtuosè pœnitentem annulo exornat benevolus Pater, discamus: Virtutem nobilitare, virtutem honorum titulos, cum his optima quæque terræ ac cœli bona communicare. Ita S. Chrysostomus ferm. 5. *Posuit annulum in manu ejus, annulum honoris, titulum libertatis, insigne pignus Spiritus.*

CONCEPTUS VIII.

Virtuosus valdè fuit Noë: *Vir justus atque perfectus in generationibus suis*: Genes. cap. 6. Virtute comite, invenit gratiam coram Domino, clementer conservatus à diluvio universali, Dominus mundi totius constituitur. Virtute, mansuetudine nitet David, virtus hæc Davidem ad Regnum & sceptrum promovit. Teste Saul Rege, 1. Regum 24. *Et nunc quoniam scio, quod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua Regnum Israël.*

Pp 2

Virtu

Virtute castitatis fulget Joseph, hac Duce Pharäonem Regem
habet amicum, qui eum pro Regem creavit Ægypti. Con-
dit nunc Arias Montanus in cap. 11. lib. Judicum: *Indicatur
lam egregiam virtutem esse, quam tamesi vulgaris opinio
quæ temeritas inimica invidia loco suo aliquando dimoveat;
men beatior occasio, multo cum fœnore demum non restituit,
angustiore, honestioreque amplificet.*

Epilogus.

Hortor ergo cum Sponfa cap. 7. *Ascendamus in Palmam,
apprehendamus fructus ejus.* Palma est virtutis Symbolum, et
Christo virtutem amplectemur, ut in terris beati, ac bene-
dicti, & triumphantes cœlos conscendamus.
Amen.





IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

CONCIO TERTIA.

Elevatus est in cælum. Marci 16.

Textus.

Post laborem, venit dulcis requies.

Thema.

IN Salvatore nostro cernimus thema assumptum, ad-
impletum, post labores & sudores captat hodie dulcem
requiem, mercedem, præmium, coronam, triumphum,
Elevatus est in cælum: Hæc Spes manet omni timora-
to Christiano; Caput suum Christum sequetur mem-
brum, fidelis Dei cultor, post labores, bonorum operum, post sudo-
res fortiter perpeffarum æumnarum, gustabit requiem, recipiet
mercedem, & præmium, coronam & triumphum: ita Scriptura Sa-
cra: *Modicum laboravi, & inveni multam requiem.* Eccl. cap. 5.
Manus fortium, divitias portat. Prov. 16. & iterum cap. 12. *Manus*
fortium dominabitur. Et Sap. 3. inquit Salomon: *Bonorum laborum*
gloriosus est fructus. Christus ait Apoc. cap. 2. *Qui vicerit, dabo*
ei edere de ligno vita. Audiamus & Patres: *Est hic quod advertas,*
non esse scilicet quiescendum, nisi prius satis laboraveris, quemadmo-
dum & creator rum, Oleaster super caput 2. Genes. *Prius in cam-*
po actionis probari, & contra passiones rationem turbantes forti-
ter prevalere debemus, & tunc ad contemplationis Dei arcem con-
scendere. Lippomannus in cap. 32. Genes. *Unde caro in infimis diu-*
tius laborat, inde mens ad summa evolat. Scribit S. Gregorius lib.
7. Moralium cap. 6. & iterum: *Viri Sancti quos labores nunc veri-*
tati exhibent, tot remunerationis pignora, intra spei sue cubicu-
la,

Exordium.

*Textus Sa-
cra Scriptu-
ra.*

Patres.

Oleaster.

*Lippomann.
S. Gregorius.*

la, clausa tenent. Invocata S. Spiritus gratia, desuper Co-
ptus audiamus,

CONCEPTUS I.

Confirmatio

Patientissimus Job, viatorem hominem mercenario comparat
Sicut mercenarii dies ejus, cap. 7. Cur mercenario? Mercenarii
hoc mundo post labores, certas quietis habent horas, & paratam
mercedem, sic Deus optimus hominibus bene operantibus ac meriti
certam promittit quietis, ac refrigerii horam: *Venite ad me omnes
qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. cap. 11.
Faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Lucæ 13. De-
per & mercedem, denarium diurnum regni cœlestis largissime
solvet: *Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, ego
multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Hanc ver-
tem docet parabola, Matth. 20.

CONCEPTUS II.

Providus Pater-familias vocat operarios, alios hora tertia
sexta, & alios nona hora; S. Hieronymus per providum cœconomum
Deum intelligit, per operarios verò, homines in terris vitam
per horas; tertiam, sextam, & nonam, ac undecimam; ætatis
tæ hominum designantur; labores & opera, ad quæ optimus
omnes homines, omnis ætatis conducit, sunt pia, ac bona opus
sic scriptum legimus de primo homine Adamo: *Posuit eum
in Paradisum voluptatis, ut operaretur*, Genes. 2. Ut operatus
id est, *ut in laude, & gratiarum actione creatori suo fidem
mum gereret.* Inquit Rupertus Abbas: Pie ac bene ergo qui op-
ratus fuerit, eum sequetur merces & quies, *Voca operarios, & pro-
de eis mercedem, & acceperunt singulos denarios: Qui hora tertia
venerunt, acceperunt denarium, & qui hora undecima inchoarunt
& denario diurno remunerati sunt, nullus vacuum, sine premio
discessit: discamus hinc: post labores bonorum operum quem
fruiturum optatâ requie beatitudinis, accepturum denarium, me-
cedem*

cedem, & præmium, gloriæ æternæ. *Post laborem sequitur requies*, concludit S. Bernardus.

CONCEPTUS III.

Et Deum requievissè constat Genes. cap. 2. ast opere & labore perfecto: *Requievit Dominus die septimo ab omni opere, quod præpararat*: Et Christus super fontem sedebat, & requiescebat, Joann. 4. ast nonnisi post fatigationem & laborem: *JESUS ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem*. Lassitudo, defatigatio, ob quam requies necessaria est, in Deum non cadit, cur ergo DEUS, quasi lassus, defatigatus ab opere quiescere voluit? ad nostrum solatium inquit Oleaster in Genesim, & S. Chrysostomus in Catena. Ut si & nos in benè operando defudaverimus, optimam ac dulcem quietem capiemus æterni refrigerii.

CONCEPTUS IV.

Levitici cap. 25. cautum erat: *Septimo anno Sabbathum erit terra*. Oeconomi quoquè agris suis, quos duobus annis seminârunt, post fructus tam hyemales, quam æstivales latos, tertio anno ferias dant, Sabbathum indulgent. Terra & Ager Dei homo est: juxta verba Christi Lucæ cap. 8. *Quod autem cecidit in terram bonam hi sunt, qui audientes verbum in corde bono, & optimo retinent, & fructus afferunt in Patientia*. Fructus inquam pietatis, ac bonorum operum: Tales fructus si nunc Ager cordis tui, mi homo, portaverit, Sabbathum & ferias requiei indubiè recipies.

CONCEPTUS V.

Genes. cap. 32. Deus, Jacob immutat nomen, & vocat eum Israël: *Nequaquam inquit Jacob vocabitur nomen tuum, sed Israël*. Cur hoc? quid hæc nomina Jacob, & Israël significant? S. Athanasius serm. 4. contra Arianos interpretatur; quod Jacob idem significat.

gnificet quàm *luctator, supplantator*. Israël autem: *Videns Deum*. Immutando ergo nomen; Jacob, in Israël, luctatorem, in vultu Deum, Deus nos instruit: Qui strenuè luctatus fuerit in bene vivendo; qui vitia, & propensiones animi extirpaverit, virtutes rō implantaverit, is fiet Israël, videbit Deum, requie æterna habetur. Perpulchrè Hugo Cardin. in hunc locum: *Non fiet Israël qui non prius fuerit Jacobita*. Post labores ergo datur requies.

CONCEPTUS VI.

Quietem, delicias, gaudia, concupiscit Sponsa in Cant. cap. *Lectulus noster floridus*: Lectulus, locus quietis, respirationis, quiescere ergo vult Sponsa: quid respondet sponsus? *Ego flos campi, & lilium convallium* Can. 2. ad desiderium quietis, se sponsum florem campi nominat: Quid hîc mysterii latet? Campus, locus est laboris, & sudoris; *in sudore vultus tui, vesceris panem* Job 42. pro, inter asperos labores cernimus desudare, defatigari colimus ad petitionem ergo quietis respondet sponsus, dilectus: Ergo campus: quasi instruens: Quietem desideras, o anima, omnino præparata est, ast non nisi desudantibus, laborantibus in opere bonis. Audiatur Lippomannus: *Prius in campo actionis præparatus contra passiones rationem perturbantes fortiter prævalere debet, & tunc ad ipsius Dei contemplationis arcem conscendere.*

CONCEPTUS VII.

De Divite narrat Lucas: *Induebatur purpura & Byssus, & pultus est in inferno*, cap. 16. Sapiens econtra Prov. 31. de iusto dicit: *Byssus & purpura indumentum ejus*. Ambo iisdem vestibus induti sunt, & tamen unus solum quietem obtinuit æternam, alter non est; Cur hæc quies & diviti non obtigit? Cum pariter iisdem vestibus ornatus describatur? Quid per purpuram, & quid per byssum intelligitur? Purpura, otium, felicitatem, delicias, & voluptates designat: Byssus econtra, multam operationem, ac intensos labores. Ita Hugo Carnotensis serm. de signis indumentorum sacertotalium: *Byssus seu linum, multis castigationibus redditur candidum*. Par

Purpura primum indutus est dives, in otio, in deliciis, in voluptatibus vixit; inde reprobus. Justus verò omnium primo bysso vestitus describitur, in castigationibus, in multa, & pia operatione, labore optimo, vitam traduxit, inde beatus, hæres quietis æternæ: Concludit nunc Doctissimus de Padilla Annot. 12. in Habacuc cap. 3. v. 16. discursu 8. *Qui ergo prius in hac vita purpura induitur, in altera bysso laboris, & miseria induetur, qui verò labores tanquam linum in hac vita sustinet, postea in gloria perpetua æternæ felicitatis purpura indutus corruscabit; quia in domo Dei non nisi post labores datur requies, & otium, post fatigationem.*

CONCEPTUS VIII.

Mors est in mundo, elogia, & honorum titulos in lapides sepulchrales, ac mausolea inculpi. Judæi Salvatori nostro summum dant elogium, & honoris titulum *JESUS NAZARENUS, REX JUDÆORUM*. Matth. 27. Ast non lapidi sepulchrali, sed durissimo, ac infami ligno crucis, inculpunt. Cur non potius hunc titulum sepulchro appendunt? cur dolorosæ ac laboriosæ cruci? quid est sepulchrum, & quid est dolorosa crux? *Sepulchrum* respondet S. Hieronymus ep. ad Gerunt: *Locus quietis est*: Crux e contra, officina laborum, & dolorum est, ad crucem ergo, ad officinam laborum, & dolorum Christus regalem titulum, titulum æternæ quietis affigi ordinavit, & non ad sepulchrum, ad locum Otii, & quietis; edocens: Non per otium, sed per indefessos sudores, labores bonorum operum, perveniri ad regalem titulum, ad habitaculum, gustum ac dulcedinem æternæ quietis, & felicitatis. Post labores ergo pervenitur ad requiem.

Q 9

Impe-

Epilogus.

Imperator Severus, militibus suis sapius Tesseræ, in
Parolle militaris loco verbum dedisse fertur: *laborandum est*.
 Innuens; si gloriosi, si victoriosi esse, si pace, & quiete
 velint, indefessè desudent, se exercent, laborent; Eandem
 Tesseram CHRISTI militibus, omnibus Christianis scrip-
 tulo relinquo. *Laborandum est*. Bonis operibus continuò desuden-
 dum est; & victoriosi cum CHRISTO cœlum con-
 scendemus, æterna requie, ac pace perfruemur.

Amen.



INDEX